Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



259

ROMANOS.

est: ueloces pedes ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in uiis eorum: et uiam pacis non cognouerunt: non est timor dei ante oculos eorum. Scimus autem quoniam quecumque lex loquitur: his qui in lege sunt loquitur: ut omne os obstruatur: et subditus fiat omnis mundus deo: quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est: testificata a lege et prophetis. Iustitia autem dei per fidem ihesu christi in omnes et super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt. et egent gloria dei: iustificati gratis per gratiam ipsius. et per redemptionem que est in christo ihesu. quem proposuit deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. ad ostensionem iustitie sue propter remissionem precedentium delictorum. in sustentatione dei ad ostensionem iustitie eius in hoc tempore: ut sit ipse iustus. et iustificans. eum qui ex fide est ihesu christi. Ubi est ergo gloriatio tua. Exclusa est. Per quam legem. Factorum. Non. sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem. sine operibus legis. An iudeorum deus tantum. Nonne et gentium. Immo et gentium. Quoniam quidem unus deus qui iustificat circumcisionem ex fide. et preputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem. Absit. Sed legem statuimus. ·iiij.

Quid ergo dicemus inuenisse abraham patrem nostrum secundum carnem. Si enim abraham ex operibus legis iustificatus est: habet quidem gloriam sed non apud deum. Quid enim scriptura dicit. Credidit abraham deo: et reputatum est ei ad iustitiam. Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam: sed secundum debitum. Ei uero qui non operatur: credenti autem in eum qui iustificat impium. reputatur fides eius ad iustitiam. secundum propositum gratie dei: sicut et dauid dicit beatitudinem hominis cui deus accepto fert iustitiam sine operibus. Beati quorum remisse sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputauit dominus peccatum. Beatitudo ergo hec in circumcisione tantum manet. an etiam in preputio. Dicimus enim quia reputata est abrahe fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est. In circumcisione an in preputio. Non in circumcisione sed in preputio. Et signum accepit circumcisionis. signaculum iustitie fidei que est in preputio: ut sit pater omnium credentium per preputium: ut reputetur illis ad iustitiam. et sit pater circumcisionis: non his tantum qui sunt ex circumcisione. sed et his qui sectantur eius uestigia fidei. que est in preputio patris nostri abrahe. Non enim per legem promissio abrahe aut semini eius. ut heres esset mundi: sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege heredes sunt: exinanita est fides: abolita est repromissio. Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex. nec preuaricatio. Ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini non ei qui ex lege est solum: sed et ei qui ex fide est abrahe. qui est pater omnium nostrum. sicut scriptum est: quia patrem multarum gentium posui te ante deum cui credidisti. qui uiuificat mortuos. et uocat ea que non sunt. tamquam ea que sunt. Qui contra spem in spem credidit. ut fieret pater multarum gentium. secundum quod dictum est ei. Sic erit semen tuum sicut stelle celi: et sicut harena que est in littore maris.